EMINENTISSIMO PRINCIPI,

ALDERANO CYBO,

S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO.



REcordaris, opinor, id quod ego nunquàm obliuiſci poſſum, PRINCEPS EMINENTISSIME, quo tu me ante biennium honore ſis proſecutus. Niſi fortè ſolenne illud tuum ſeruare mavis, vt beneficiorum, quæ contuleris, memoriam dilabi facilè patiaris, quæ acceperis ipſe, trabali clauo, vt dicitur, in mente atq; cogitatione defigas. Qua quidem re ſtatuunt ſapientiſsimi homines nullum argumentum excelſi animi verequè nobilis exiſtere poſſe luculentius.

Obtuli tunc tibi, admiſſus in præſentiam, Epithalamium qualecunq; noſtrum, in nuptijs *Catharinæ*, lectiſſimæ virginis, Sororis tuæ filiæ decantatum, cum *Iuſtiniano* Principe celebratis. Quod opuſculum tametſi alteri dedicaſſem, nempè clariſſimo Nouellariæ dynaſtæ *Alphonſo Gonzaga*, ſponſæ patri, quia tamen ſic inſcripſeram, tanquàm alicui Scipionis Lælio, aut Theſeo Herculis, hoc eſt, amico affini & perneceſſario tuo, perindè accipiebas, tanto illius percurrendi ſtudio, tamq; prolixa animi erga me au

thorem voluntate, quaſi nuncupatum præcipuè tibi fuiſſet.

Quid? ea-nè igitur beneuola mentis vel ſignificatione tuę, vel interpretatione meæ, contentus eſſe debeo? nequaquàm: maius eſt officij debitum profectò ex parte mea, quàm vt tantula repræſentatione tibi, ſub alieno præſertim nomine, ſatiſfactum putem. In meo tuoq; volo propriè diſsoluere; imò etiam ſcriptis noſtris eadem opera mutuari lucem à tuo. Subit opportunè Virgiliani paſtoris votiua promiſſio conceptis hiſce verbis:

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si foetura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Perquã ſanè aptè ſubiectę rei. Recens fętus videlicèt *Catharinæ*, iterùm puerperæ, monſtrat facilem gratificandi viam: nouas tabulas conficit. Tum enim Hymenæi dabam cantiunculam, veluti ſemen aut ſurculum venturi fructus; nunc exhibeo Lucinę nęniam obſtetricis, id eſt, poſt nuptiale carmen natalitiũ, quaſi feliciſſimæ ſementis vberem meſſem & optatam. Nã coniugij qui tandem finis, vel ſpes alia, niſi prolis?

Tu verò, *ALDERANE*, humaniſſime Purpuratorum atq; doctiſsime, hoc quidquid eſt muneris accipe ab homine *Iuſtinianorum* iamdiù domeſtico & familiari, adeoq; ſeruo item tuo & cliente iure nexi, pro tua perpetua conſuetudine fauendi literatis conatibus, comiter ac benignè; nec diffide futurum, proùt ſenſero radiantis oculi tui, tanquàm ſalutaris cuiuſdam aſtri, beneficam influentiam, hæc vt ipſa

nouis

nouis in dies acceſſionibus creſcant, & alia ſuo tempore,quæ te attingant propiùs, fortaſſè gratiora proferantur.

Potueram hìc multa,modò collibuiſſet,de ſummis virtutibus tuis prædicare: ſed cũ eæ Sole clarius eluceant, iamq; increbuerint apud omnes, nolui actum agere: ſatis habeo de præmijs cœleſtibus ijs debitis ex coniectura votoq; mortaliũ augurari.Cùm autem vaticinationes ferè inſtinctu diuino afflatuq;fundantur, ſermone certè humano maiore, quod verſu fit, quẽadmodùm liquet ex libris Sibyllinis, vtendum erat.

Quarè,te quò pleniùs ipſe recognoſcas,voco te ad carmen *GENETHLIACVM*, quod infrà poſui, opus prorsùs tuum, vtpotè tibi nominatim conſecratum: vbi per occaſionem res de te magnas in poſterum præſagiens haud equidem amantiùs, quàm veriùs deprõpſi. Aliud *Epigramma* ſuperioris anni habebis præfixum, horni partus poëmati lumen futurum. Tu & nominis,& dignitatis tuæ gloria ſplendorem vtrique afferes.Vale,&exple in loco vota noſtra.

Romæ, ex ædibus Iuſtinianis, Kal.Septemb. 1674.

EMINENTIÆ TVÆ

Humillimus cultor,
Iacobus Albanus Ghibbeſius,
Poët. Laur. Cæſ.

IN

IN PRINCIPEM INFANTEM,

VINCENTIVM,

CAROLI BENEDICTI IVSTINIANI,

BASSANI PRINCIPIS,

FILIVM PRIMOGENITVM.



Natus in Vrbe die S. ROSÆ, 30. Augusti, 1673. eadem luce per lustralem aquam viginti patronorum cœlestium nominibus, *Vincentij* inprimis, antiquissimæ familiæ columinis, & *Graciliani*, qui claudebat seriem, Bassani Principatus tutoris, splendidissimè donatus est.

EPIGRAMMA.


Sextili, præclare PVER, *Romæ edite mense,*
Cui Rosa *festiuum diuidit alma diem;*
Vt tibi bis denis ductet Vincentius *agmen*
Nominibus, tergum Gracilianus *agat;*
Vix tamen efficient medijs cum fratribus ambo,
Vt nisi te Augustum *maxima Roma vocet:*

GENE-



GENETHLIACON.

Ob ſecundam prolem maſculam, ANDREÆ *paterni*
Avi nomine, IVSTINIANÆÆ *felicitati*
genitam;
Auguſti menſis 18. *die* S. Agapito *ſacro*,
M. DC. LXXIV.



ALtera conceſſa eſt anno redeunte propago,
Auguſti felice Puer ſub ſidere menſis,
Penè diem ducente *Roſa*; quæ fecerat antè
Diua breues matris partus, lætoſq; labores,
Cęleſti manifeſta manu,& fragrãtibus auris.
Inſtabat nouus orbis,hianſq;Peruia primũ
Expectabat onus, fœcundi ventris honorem,
Ac ſtabilimen opum tantarum, vtriuſq; parentis
Hæredem ingentem. Formandus Principis alti
Quippè fuit ſplendor: cunis tantum inſtar in ipſis.
Iam probat euentus duplicis molimina mundi
Suſcepto in fœtu: niueæ quæ gratia formæ!
Qualis in ore rubor! quàm lucet vbiquè venuſtas!
Quantus honos frontis! quis vibrat fulgor ocellis!
Indolis & morum nullam præſtantia metam
Laudis habet. Talem naſci credamus Achillem;
Sic genitrix vultu, genitor ſic pectore adhæſit.
Et decor,& virtus conſpirauère viciſſim;
Gonzagam ille refert, hæc clamat *Iuſtinianum*,

San.

Sanguinis authores, illuſtria nomina famæ.
Voce adeò merita ſignat Victoria prolem.
Blandule tuq; *Infans*, ortu, non laude ſecunde,
Ingredere heröum ſecuro ſtamine vitam,
Longævoſq; imple factis audacibus annos,
Omnia germano ſimilis: procedere diſce,
Quò res cunq; vocat, ſeù pax, ſeù bella requirent.
Sed pax alba magis. Quanquàm nec purpura tinctu
Sidonio deerit, veros imitata cruores,
Armigeriq; rubens pugnas ac vulnera Martis;
Cùm te Romanus, veniat modò plenior ætas,
Aſciſcet ſibi ferre Pater cum pondere partem
Imperij ſacri, propiùſq; in ſede locabit
Conſultorem aptum, trabea dignatus & oſtro,
Non ſine lætitia populi, plauſuq; Senatus.
Et quis erit, triplici frontem diademate vinctus,
(Dic precor, Vranie, cœli præſaga futuri)
Tum quis erit, magno iuuenis correptus amore
Terrarum princeps, rutiliquè vicarius axis,
Qui gerat officium, & diuino munere donet?
Fallor, àn humanas iam ſpes ac vota ſecutus
Muſam ego præuerto vates, arcanaq; pando.
ALDERANVS is eſt: arcum reparate Seueri,
Sternite flore vias, pictas inducite veſtes
Parietibus læti, ſummus noua templa Sacerdos
Dùm conſcendet ouans Tarpeij per iuga cliui,
Romulidæ. Ille piæ vobis præconia Romæ
Firmabit pius ipſe; feret mirabile robur
Iuſtitiæ prior exemplo, ſuper æthera notus
Pontificum ſanguis, claro de ſtemmate Maſsæ.
Quem puero potiùs regnator avunculus effert
Dotes ob ſimiles? vt ſuſtulit Hector Iülum.

Hæc

Hæc olim: intereà ſuperet tria ſecula CLEMENS,
Paſtor ouilis amans commiſſi, & amatus ouili.
Thura placet Genio libare, & florea ſerta,
Votiuaſq; offerre preces ſolennibus aris;
Indè dapes ſtruere, ac latices effundere Bacchi,
Natali iubare exorto. Non traxit Eöos
Sol populos æquè rubro de litore ſurgens,
Vt puer iſte rapit, lucis productus in vſum,
Lucifer apparens, mira dulcedine cunctos.
Si *Roſa* commendat fratris primordia Virgo,
Deſupèr atteſtata ſuum; cœleſtis & alter
Hunc paribus fouet auxilijs, ſimilemquè tuetur
Luce ſacra cuſtos, puerum puer. Arctat Olympus
Nimirùm æquales & blandè reſpicit annos.
Tyndaridùm rarum præbent exemplar Amyclæ;
Hic quamuis æternus erat, mortalis & ille,
Mortali voluit partiri æternus honorem
Cœlicolæ, inq; vicem miſeris effulgere nautis.
Nexilis in terras deſcendit ab axe catena,
Omnia coniungens, ſumma imis, fœdere amoris.
Naſcenti proprioq; die, viſuq; ſereno
Aſtitit eccè tener, Præneſtis gloria, victor
Agapitus, celſæ decus ingens additus aulæ;
Cui quot ab effuſo ſtillarunt ſanguine guttæ,
Tot iam conuerſi ſcintillauère pyropi:
Exceptumq; priùs, terram quàm tangeret, vlnis
Reſtituit matri verba inter talia partum,
Omina quæ puero ferrent, & gaudia matri.
Pande ſinum, *Genitrix*, nato, gremioq; repone;
Suge, afflaq; animam repetita per oſcula charam.
Et tu, parue *Puer*, catulus velùt ille leænam
Sentit odore ſuam, tactu cognoſce parentem.

Altera ſpes magnæq; domus, gentiſq; vetuſtæ
Exoptatus ades, vano nec nomine iactas
Inclyta progenies, vtràque ab origine Princeps.
Hinc Chios, hinc & auos Byzantia palluit ora
Iamdudùm, rerum dominos, ſceptriq; potentes.
Præ ducibus iuſtis nunc ſæuum odère tyrannum,
Teq; vocant laxare iugum virtute, vel armis.
Grandia facta tuis debes natalibus, *Infans*:
Inſita vis animi pulchros exuſcitat ignes
Maiorum decoris, meritęq; per ardua palmæ.
Quarè age, de tenero laudes meditare ſuperbas
Vngue celer, victorquè viri iam concipe famam.
Scilicèt *Andreæ* tua ponet Græcia nomen
Indè tibi, actorem vertit quod Roma virilem.
Hæc Prænestinas moneo portendere ſortes.
Dixit: & ambroſiæ vt ſuccum ſpirabat, eodem
Perfudit puerum mulcens, & in aſtra receſſit.
Auſpicijs fauſtis, diuinos inter odores,
Ridenti puero arriſit lætiſſima mater.



R O M Æ,
Ex Officina Nicolai Angeli Tinaſsij, M.DC.LXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.